



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

Ca. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

- quatenus cum effectu nō agit gratia, nisi agamus & nos cum gratia, vt alius multis in locis apertissimè Aug. docet. Quare et si ideo data sit gratia, vt duritia cordis auferatur, quia tamen hic effectus diuinæ gratiæ operationi cōsequens quidem est, non autem proximus & immediatus vt prior ille iam dictus, idcirco infallibiliter & perpetuò non sequitur, sicuti prior effectus de quo August. dixit, à nullo duro corde respuitur. Consequentis enim effectus intentio proximi effectus certitudinem necessariò præsupponit. Deus enim intendens peccatorem conuerrere si ipse velit conuerti, tangit cor eius certissimè vt conuertatur si velit. Tangit, mouet, & afficit; pulsat, excitat, & præuenit: & hunc diuinæ gratiæ tactum, motum, affectum non sentire nullū cor durum potest. Hunc pulsatum, hanc excitationem, hanc præuentionē omne cor durum accipit, nullum respuit. Quibus enim visis à Deo tangamur, in nostra potestate non est. Actum autem diuinæ gratiæ tangenti, mouenti, & excitanti conformè elicere, pulsanti ostium aperire, vocanti gratiæ consentire, liberæ voluntatis est, quæ morum gratiæ modò sequitur, modò non sequitur; modò accipit, modò reiecit; modò ei consensum præbet, modò negat.
2. Cor. 6. Quam ob causam hortatur Scriptura, ne in vanum gratiam
Heb. 3. & Dei accipiamus, ne quis desit gratia Dei, ne quum vocem Dei
1. audierimus, velimus obdurare corda nostra: & multa alibi his
De Spir. consimilia. Augustinus quoque disertissimè scribit. Vocati
& lit. autem Dei consentire vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.
cap. 33. Docet hæc tota explicatio causam excæcationis, aut incredulitatis, aut cuiusuis peccati, non in Deo (vt apud Matth. cap. 13. Calvinus posuit) sed in propria cuiusque praua & libera voluntate ponendam esse.

IN MARCI CAP. VII.

33. Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in calum ingemuit, & ait illi, Epheta: quod est, adaperire.



Q UOD Christus in sanando hoc surdo & muto, quæ haud dubiè incredulum genus humanum significabat, qui nec ex auditu fidem concipere, & corde credere, nec in Dei laudem linguam laxare & ore confiteri potest: ac (quorum illud ad iustitiam, hoc ad salutem impii

imprimis necessarium esse Apostolus docuit) tot præter morem suum ceremoniis, signis, ac symbolis utitur, non quasi ad eum sanandū necessariis mediis (qui solo nutu ac voluntate sanare eum poterat) sed ad aliquid per ea significandum, illis usum fuisse Christum agnoscit nobiscum hoc loco Calvinus. Liberè (inquit) usus fuit signis externis, prout hominum ferebat vilitas, sicut nunc lingua sputum aspergens, notare voluit loquendi facultatem à se vno transfundi, digitum in auricula mittens, docuit proprium esse suum munus surdas aures quasi perforare. Quòd suspexit in calum atque ingemuit, signum fuit vehementis affectus. Ita hæc omnia ad significationem quandam adhibita fuisse rectè adnotat. Iam verò quum in baptisui sacramēto, quo initiatur Deo quilibet Christianus, ex surdo ac muto fidem fideique confessionem Dei beneficio accipiens, verè adaperitur omnis baptizatus, ut tam audire ac credere, quàm quod credit ore & opere confiteri valeat, Ecclesia Christi Catholica iam à multis seculis (ut patet ex S. Ambrosio) has ipsas Christi ceremonias ac signa ad tantū beneficii maiorem expressionem, siue in adultis siue in paruulis baptizandis adhibere voluit. Displicet caluitio Calviniano hæc Ecclesiastica in baptismo ceremonia, & pro sua in Ecclesiam Christi autoritate magistrali, sic illam obiurgat. *Inter alias nugas quibus baptismum inquinaverunt stulti homines, hic quoque histrionicus lusus agitur. Quo exemplo monemur, nullum esse licentia modum, ubi homines in Dei mysterijs pro suo arbitrio lasciuunt.* Cui respondeo: Inter alias Ecclesiasticas ceremonias quibus visibilibus signis (ait S. Dionysius Areopagita D. Pauli discipulus) diuinissimi Principes nostri, Apostoli & Apostolici viri, sacramēta texerunt, & sub humanis imaginibus res diuinas tradiderunt, & in materiali figura spiritualem maiestatem representarunt: hanc quoque ceremoniam ad Christi Saluatoris in re nō absimili imitationē vsurpatam histrio Calvinus irridet. Quo exemplo monemur, nullū esse licentiæ modum, ubi arrogantes hæretici in Dei mysterijs pro suo arbitrio irridendis improbè & petulanter lasciuunt.

Rom. 10.

De Sac.
lib. 1. ca. 1.
Ceremonia
baptisma-
les futi-
ter repre-
hensa.

Ecclef.
Hierar.
cap. 1.

IN MARCI CAP. X.

21. Et intuitus eum Iesus, dilexit eum.



ALVINVS hīc alio longè oculo intuitus Catholicos, quàm hunc adolescentem diuitem Dominus intuebarur, calumniatur & rixatur in eos. Nam